



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Locorum co[m]munium Ioannis Eckij,
aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiae**

Eck, Johannes

Antverpiae, 1541

10 De Euchar. sub vtraq[ue] specie.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35599

DE EVCHAR. SVB

Ita vt videret clare oīa. Et ita etiam
spiritualiter quandoq; tanta cōmo-
tione cōuertit cor hominis, vt subi-
to perfecte consequatur sanitatem
Luc. 7 spiritualem, vt Magdalena. Quan-
do autem prius remittit culpam per
gratiā operantem, & postea per gra-
tiam cooperantem, successiue tollit
reatum pœnæ, & alias peccatorū re-
liquias. Non habetur igitur ex fa-
cto Christi, quod remissa culpa, si-
mul remittatur omnis pœna, sed ma-
gis contrarium &c.

DE EVCHARISTIA sub vtraq; specie X.

¶ Sufficere laicis alteram spe-
ciem ostenditur.

Ioan. 6 **H**ic est panis qui de cœlo de-
scendit, vt si quis māducaue-
rit ex eo, non moriatur. Pa-
nis verus est, qui de cœlo descēdit,
& dat vitā mūdo: Ego sum panis vi-
uus, qui de cœlo descendi. Et panis
quem

VTRAQUE SPECIE. 68

quē ego dabo, caro mea est, pro mū
di vita. Ecce solius panis meminit.

Euntibus discipulis duobus in E- Luc. 24
maus, sub sola specie panis dedit
eis Christus sacramentum, secun-
dum Augu. libro tertio, de consen-
su Euangelistarum, & Chrysoft. su-
per Matthæum.

Panem nostrum substantialem da Mat. 6
nobis hodie, oramus quotidie.

Erant perseverantes in doctrina Act. 2
Apostolorum, & communicatione
fractionis panis, & orationibus.

Pascha nostrū immolatus est Chri 1. Cor. 3
stus, itaq; epulemur in azimis syn-
ceritatis & veritatis.

Patet quod ubiq; solum fit men-
tio panis, nulla vini. Amb. Hier. Eu
seb. Bened. morituri communicaue
runt solum sub specie panis, & fe-
ria sexta sancta, sacerdotes cōmuni
cant solū sub specie panis, in cuius
figurā dñs prædixit de posteris He-
ly, vt quicumq; venerit ad sacerdotē
ei di-

DE EVCHAR. SVB

eī dicat, dimitte me obsecro ad vnā
partem sacerdotalem vt comedam
buccellam panis.

1. Cor. 10

Vnus panis, & vnum corpus, mul-
ti sumus omnes, qui ex eodem pane
participamus. Et ita cōstituit sacra.
Constantiensis synodus Ambrosius
loquens de communicatione laico-
rum libro de sacramentis, non me-
minit nisi panis Ignatius in episto-
lam ad Ephesios inquit, Obedientes
episcopo, & presbytero impreuari-
cabili sensu, frāgentes panē, qui est
medicamentum immortalitatis, an-
tidotum nō moriendi, sed viuendi.
Ecce non meminit vini. Gregorius
lib. tertio Dialogo refert de sancto
Agapeto, quomodo mutum & clau-
dum porrectione dominici corpo-
ris sanauit, nulla habita vini men-
tione.

De conf. d. Concilium Remense prohibet, ne
ca. per. Laici portent sacramentum corpo-
sa. pres. ris ad infirmos : nulla fit mentio
spe.

specierum vini.

Sic precipitur de Eucharistia panis ut sacerdos semper habeat paratam, de vino nihil precipitur. Et est concilij Guarmatiensis.

In concilio Sardicensi. *Offus pro-* Episcop.
hibet quibusdam temerarijs, ut ne *Cor. c. 2. d*
laicam communionem percipiant, de *elect. li.*
nisi poeniteant in fine, & que est lai *dis. 1. si epis*
ca communio, nisi Eucharistiae sub
specie panis sumptio?

Simile constituitur in concilio Agatensi, de sacerdote criminoso, qui trusus in monasterium Laicam tantum sumat communionem: vide Tom. 4. Homil. 34.

¶ Obijciunt heretici primo.

1. Christus instituit sub vtraque specie, & communicavit Apostolos sub vtraque specie, & mandatum dedit omnibus dicens, bibite ex hoc oēs.

2. In primitiva ecclesia communicabant sub vtraque specie sicut probatur per Cyprianum tractatu de

K lapsis,

DE EUCHAR. SVB

Iapsis vbi Diaconus sacramentum calicis puellæ infudit.

3 Nisi māducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinē non habebitis vitam in vobis.

4 Sacramentum totum debet dari laicis, alioquin qua ratione priuati sunt iam laici calice, eadem ratione ecclesia posset eos ab Eucharistia coercere.

5 Omnes fatentur sacerdotem sub pœna peccati debere communicare sub vtraque specie, & cur non peccant laici id obmittentes?

¶ Respondent catholici.

De primo

Concedimus Christum cōsecrantem instituisse sacramentū sub vtraque specie, & dedisse Apostolis sub vtraque specie, qui iā erāt sacerdotes: ideo hodie sacerdos celebrans sumit sub vtraque specie, sed quid hęc ad laicos? Et bibite oēs, est dictū Apostolis & sacerdotibus, qui hoc faciunt, id est, consecrant in Christi
com-

commemorationem, nam alij non
interfuerāt nisi Apostoli, vt ex Euā
gelio liquet, idem Marcus ait, & bi- Mar. 14.
berunt ex eo omnes, quod de laicis
falsum esset.

Fatemur hunc vsum fuisse in pri De secūdo
mitiua Ecclesia nec tamen vniuersa
lis fuit vsus, vt patet ex Actis secun
do capite, & ab ecclesia mutatum.
Primo quia pēsata multitudine po
puli, vbi sunt senes, iuuenes, debi
les, si nō adhiberent debitā cautio
nem, fieret iniuria sacramento, per
effusionem liquidi. Secundo in tan
ta multitudine, quo vase commode
contineretur sacramento vini, &
sine effusione promeretur. Tertio
non facile sacramento vini con
seruari posset pro infirmis, quia a
cescit, putrescit, mouens nauseam
vel vomitum sumentibus. Quarto
sine periculo effusionis non facile
posset deferri de loco in locū pro in
firmis. Quinto cōtingeret alioquin
K 2 sacra-

DE EVCHAR. SVB

sacramento dignissimo, summam fieri irreuerentiam. Sexto, Rem miraculis testatam refert Alexander de Ales, quod cum religiosi instarēt pro sumptione sub vtraq; specie, dū sacerdos esset in actione sacramēti, apparuit patina plena sanguine, quod vidētes religiosi obstupuerūt, quo signo petitio eorū cessauit. Porro credendum est à primitiua Ecclesia incepisse Laicos communicare sub altera specie, & quod sit vnum, quod veniat ex traditione Apostolorum, quia initium huius monstrare nemo potest.

De tertio,
Ioan. 6

Quia manducatio sacramentalis exigit spiritalem, verba quę ego loquutus sum spiritus & vita sunt, vnde sub qualibet specie est totus Christus, corpore & sanguine: Ideo laicus sub specie panis, bibit sanguinem, sed nō sub specie propria, sed sub specie panis. Porro Christus solum agit de incorporatione
nostra

VTRAQUE SPECIE. 71

nostra in ipsum, quod communio corporis satis indicat, ideo ad hoc sacramentum hic oculus non est habendus.

Quod ex causa ecclesia non dat alteram speciē, potuit ecclesia, quia De quarto non minus est sub vtraque specie, quam duabus, & tantū fructum percipit de vna specie sicut de alia, at ecclesia fideles non debet spoliare fructu sacramenti ex integro.

Consecrans vtranq; speciē consecrat, quia agitur repræsentatio De quinto dominicæ passionis, ideo corpus & sanguis simul sub vtraque specie cōsecrantur, & sacerdos in persona totius populi offert & sumit sub vtraque specie, in cuius persona totus populus quadā spiritali sumptione sanguinem Christi bibere gaudenter debet credere.

DE MATRIMONIO. XI.

K 3

Ma-